



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Puerilis genius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

In viridem verti cœperunt membra colorem:  
 Et modò qui nivea pendebant fronte capilli,  
 Horrida casaries fieri: sumptòque rigore  
 Sidereum gracili spectare cacumine cœlum.  
 Ingemuit, tristisque Deus: lugebere nobis,  
 Lugebísque alios, aderisque dolentibus, inquit.

### Ethica.

I. (a) Quid puerilius hoc puero? cervum deperibat amando: ejus funeri lacrimas etiam sanguineas, & denique vitam impendit. Agnoscas hinc, quid delectet, quid contristet puerum, nempe crepundia, ligulas, tancias, collaria aviculis, feliculis, catellis, agnellis, hinnulis circumdare, & post equitatum arundinem longam, ad cursuram etiam canes, capros, arietes frãnatos exercere: ad minima damnorum flere, ad maxima ridere. Si pomum, bracteam, pilam, cultellum, icunculam ei subducas vel auferas, auram ploratibus implere: Si libum, saccharum, bellaria ostendas, levissimo momento in lætitiã verti, Apri-li inconstantior Tullius lib. 5. de fin. Pueri, inquit, quibus rebus cum æqualibus decertant, efferunt se lætitiã: victi debilitantur, animósque demittunt. Idem Poëta Comicus observavit.

Pueri inter sese quàm pro levibus noxis iras gerunt?  
 Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infir-  
 mum gerunt.

Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri levi sententiã:  
 Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram  
 conciverit.

Nimirum tam pueri, quàm feminae, quantò minus habent rationis & judi-  
 cii, tantò impotentiùs affectibus suis aguntur: citò gestiunt gaudio; citò mœ-  
 rore contrahuntur: ex uno affectu devolvuntur in alium, desultoria levitate.

### II. (b) Veteri jambo:

Amor puerilis amorum ferventissimus.

In Cyparisso apparet, qui cervum plùs quàm animam suam amavit. Quò quid magis præposterum? Sed hæc forsã condonanda Cyparisso, quia puero. Quis autem ferat barbato pueros ab affectibus suis eò de-  
 mentie rapi, ut quid cupiant, quid fugiant, quò tristentur, quò læten-  
 tur, non ad legem rationis, sed ad impetum libidinis referant.

V v

Ejusmo-

(a) Puerilis genius. (b) Puerilium morum & cupiditatum.